



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Præbendis. Consilium CCXLVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

quas etiam ex tunc suo tempore duraturas voluit observari. Sic ut, quamvis aliarum constitutionum Apostolicarum quibus huiusmodi clausula non adijcitur, perpetuus sit: usus; harum tamen Regularum temporaneus tantum sit, ut eleganter respondit Dom. Geminianus, *consil. 93. Videtur primo nu. 4. Lud. Gomef. ad proem. regul. Cancell. quest. 2. nu. 1. & 12.* Et sic, cum generali aliqua constitutione, quæ vim sanctionis perpetuæ habeat, de hac formali publicatione cautum non sit, & modernus Pontifex Paulus quartus, Iulius item secundus & Paulus tertius, itemque alij plurimi Pontifices eam Regulam omiserint, proposita tantum Regulâ de publicatione faciendâ in beneficijs resignatis, qui non est casus noster, & in alia ratione fundatur, *Lud. Gomef. & Petr. Rebuff. ad eandem regul. de publican. resignat. †* denique cum per Opponentem Regula aliqua talis nec allegetur nec probetur, uti oporteret, si eâ se juvare vellet, *Felin. in c. 1. nu. 12. sub fin. De sent. & reind. de scrupulositate formalis huiusmodi publicationis disputandum hic latius non est.*

Sed etsi vel à jure communi vel simili regula constitutum esset, parem publicationem requiri in gratijs expectativis, ut in beneficijs resignatis, nihilo magis periclitaretur causa dicti M. Lamberti: * nam in isto puncto communiter recepta est hæc distinctio, ut quamvis solemnius illa publicatio requiratur in dignitatibus habentibus jurisdictionem spiritualem vel temporalem, item in parochialibus Ecclesijs, quæ administrationem, & populum habent; quia scilicet interest omnium, qui de illa jurisdictione vel populo sunt, scire quem habeant Prelatum aut Rectorem; in simplicibus tamen beneficijs nullam curam vel jurisdictionem habentibus (qualis est hæc Cappellania) sufficiat nominationem seu gratiam publicari coram honestis personis & Notario; ut in hoc casu per M. Lambertum inter cetera factum est. Quam distinctionem pro dissidentium conciliatione eleganter tradidit Ludovicus Gomefius, *ad reg. de public. resign. quest. 9. nu. 7. & 8.* Quæ tanto magis hic recipienda, quod coram ipso Ordinario Collatore hæc omnia fuerint per M. Lambertum facta, cujus Collatoris intuitu & favore ne per ignorantiam fraudetur, regula dici potest potissimum prodita: quemadmodum in alia de publicatione faciendâ de beneficijs resignatis traditum est, *Gomef. ad princ. d. reg. & ibid. etiam per. Rebuffus.* Adde quod cum post illam possessionis corporalis & realis acquisitionem præfatus M. Lambertus pro juris sui, quod sic obtinuerat, continuatione, & prosecutione, statim sine longiore mora septima Octobris eodem anno citari procuraverit Opponentem, eo quod falso titulo ordinariæ collationis ipsum impediebat, cur minus juris sui sic acquisiti plenum usum haberet, videri possit abundè satisfecisse Regulâ de publicanda gratia, si quæ extaret; hoc enim discrimen constituunt plerique, *ad reg. de public. resign. inter momentaneam possessionem, cujus scilicet acquisitionem nihil amplius sequutum est, & in cujus consequentiam realiter & palam nihil amplius actum, ut illa scilicet non sufficiat nisi sic solemnius publicata; & inter non*

momentaneam, in cujus scilicet consequentiam publicè & palam multa sint infecta, per quæ in publicam notitiam abierit novi possessoris adventus & possessio; ut scilicet hæc publicationi formali æquipolleat. Quæ distinctio comprobatur ex his, quæ Ludovicus Gomef. in dictâ Regulæ explicatione latius examinat, *De public. facien. quest. 11.* Proinde nihil video, quod ex obsecris illis Advocati verbis, aut defectu alicuius publicationis præfatus M. Lambertus, seu bono illius juri obstare possit.

De Præbendis.

SUMMARIUM

Possessorium ex concursu Pontificiæ & Turbariæ provisionis.

1. 17. Papa est omnium beneficiorum Dominus.
2. Placitum Principis litera sequentes in beneficalibus purgant acceptationem præcedentem sine illa factam.
3. Demonstratio falsa non vitiat etiam in beneficijs.
4. 8. Diæcesis falsa expressio quando noceat in literis Apostolicis.
5. Narratio falsa quando non noceat.
6. Vitale per inutile non vitatur in re reiterabili.
7. Modus non facit actum conditionalem.
9. Civitate appellatio producit effectum.
10. Taxa beneficij falsa an gratiam vitiet.
11. 18. Possessio beneficij sine titulo non acquiritur.
12. Devolutio collationis non fit nisi ad superiorem.
13. Collatio beneficiorum vacante Prælatu non pertinet ad Capitulum.
14. Collator inferior à Papa non potest alternative exprimere plures vacandi modos.
15. Devolutio quando fiat ad illum, qui habet insinere.
16. Devolutio quando & quare fiat ab Episcopo ad suum Capitulum.

CONSILIUM CCLXVI.

IN causa possessoria seu manutentionis, quæ in Amplissimo Concilio Brabantie instituta est ex parte Eximij viri ac Domini Engelberti Boonen sacre Theologie Doctoris Impetrantis, contra Dominum Henricum Gallinacum, de & super Canonatu S. Servatii Trajectensis per obitum quondam Domini Arnoldi Lotij vacante, longè apparentius evidentiusque jus ad stabiliendam retinendamque eorumdem Canonatus & præbendæ possessionem habet præfatus Impetrans; quem ob id etiam per amplissimi Concilij sententiam in huiusmodi possessione adversus dictum Dominum Henricum Opponentem retinendum manutendumque esse arbitramur: etenim in Ecclesiastici beneficij possessoria causa ei, & in adipiscendo adjudicanda, & in retinendo confirmanda est possessio, qui apparentiora jura habet, *post. in l. ult. C. De edicto D. Hadr. tollen.* Et quamvis initium hujus demonstrationis fieri posset à deductione notarij defectus juris in præfato D. Henrico; quia possessio in beneficijs Ecclesiasticis mixtæ naturæ est, sic quod absque titulo induci

aut concludi non possit, *Rota decis. 4. aliis est 1. de resitut. spoliator. in novis*; tamen quo clarior expeditiorque sit causa decisio pro præfato D. Impetrante, tractatione conversa, jus & titulum, quo idem Impetrans hujus Canonatus & præbendæ possessionem per legitimam & consuetam installationem adeptus est, *Innoc. in c. in literis nu. 7. De resitut. spoliat. Ioan. Bapt. Ferrer. cons. 4. tangendo nu. 10. ob oculos ponemus & stabiliemus.*

Et quidem cum Impetrans natus provisione Apostolica, de qua constat per exhibitam Bullam & processum de super fulminatum: nihil ambigendum est de providentis & conferentis potestate; cum omnis Pontificia provisio seu collatio fundatam habeat intentionem; quod Pontifex omnium beneficiorum Ecclesiasticorum indubitatus sit dominus & dispensator, & ad eum illorum plena & libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine pertineat, *clem. 1. in fine Ut luepend. c. 2. De præben. lib. 6. Ut proinde illud tantum hac in re despicendum sit, num existerit conditio, sub qua velut sub exceptione facta est hæc provisio his verbis, Dummodo data presentium non sit in eis alicui specialiter suo quæsitum. de quo postea dicitur in demonstratione, quod præfato Opponentem in seu ad hos Canonatum & præbendam nullum unquam jus comperierit. Ut nec dubitandum est de facultate seu potestate utendi hujusmodi Apostolica Bulla, propter literas Placiti suæ Regiæ Majestatis dicto Impetranti concessas: ante quas licet procurator Impetrantis in ipsius absentia nimis festinando vigore ejusdem Bullæ, dictorum Canonatus & præbendæ possessionem semel acceptaverit per ignorantiam, quod hujusmodi Placitum requireretur, non potest tamen dici Impetrantis possessio inde aliquod vitium contraxisse, propter subsequentem earundem literarum Placiti impetrationem, & repetitam possessionis acceptationem; expurgato eo vitio, quod ob omissionem impetrationem Placiti videri fortè potuit contractum per præcisam restitutionem in integrum adversus hujusmodi omissionem & precipitantem dicti procuratoris acceptationem: nam de facultate ac potestate hujusmodi restitutionis dubitare non oportet, *l. Disputare C. De crim. facit. Fb lip. Decus cons. 602. & cons. 603. * Cum alioqui quoad Principem auctorem dictæ constitutionis prohibentis usum bullarum Apostolicarum continentium provisionem de beneficiis Ecclesiasticis, nihil interfit Placitum præcedat, an sequatur usum Bullarum, præsertim quando etiam de priore usu in impetrando Placitum facta est mentio. Continet enim hic subsequens consensus sic sub expressa mentione prioris usus impetratus expurgationem omissionis seu contraventionis; non aliter quàm ad sustinendum testamentum de novo feudo conditum, sufficit subsequens domini consensus: quia de domini, non alterius interesse agitur, *Andr. de iernia in c. 1. De alien. Fendi pat. Franc. Curtius in tract. De feud. parte 4. nu. 127. Paulus Paris. cons. 2. Decisum & discretum nu. 9. vol. 1. Ant. Capcius. decis. 115. De quo in proposito non potest esse dubium; sed id, quod omisso Placiti ad usum gratiæ Apostolicæ nihil***

Cons. Wameli. Tom. 1.

juris alij tribuere possit; sed tantum nocere licet utenti, & offerdere Principem, seu jus adire ejus fisco, de cujus jure tertius excipere non potest, *l. His consequenter, & ibi Bar. D. Fam. eccles. unde. Ita quod & hic ea in parte nullus ut defectus, qui impedimentum facere potuerit, quò minus ut per Bullam & provisionem Pontificiam Impetranti jus plenum acquisitum fuit in hoc Canonatu; ita quoque illius possessionem petere & obtinere potuerit, & sic sibi confirmare & stabilire plenissimum jus in hoc beneficio, concurrentibus his qualitatibus, quæ ad obtinendum Ecclesiasticum beneficium eum idoneum fecerunt; clericaturâ scilicet seu primat nora, atque sufficiente, atque idoneitate requisita, de quibus per exhibitâ instrumenta constat, ac partim tenor ipsius bullæ demonstrat. Atque ita manifestum est quod in hoc quem Impetrans præstendit titulo, nihil omnino desideretur: adeoque non tantum coloratum, qui in possessoris causis beneficiorum Ecclesiasticorum sufficere debet, *Rota decis. 439. alias 21. si agenti De resitut. spol. in novis, Phil. Franc. in c. fin. De resitut. spol. lib. 6. Rebuff. ad consil. Reg. tit. De caus. benef. possess. art. 1. gloss. 1. nu. 4. auctoritate scilicet superioris, hoc est, Pontificis, quem diximus omnium Ecclesiasticorum beneficiorum dispositionem habere, acquisitum sed etiam plenum & iustum habere titulum, qui non tantum ad possessionem retineendam, verum etiam ad plenissimam in pectorio securitatem obtinendam ei sufficere potest.**

In eum ut nihil ferè est, quod non distortâ impetratione aut depravato intellectu possit convelli & in disputationem trahi, obijciuntur quædam adversus hunc dicti Impetrantis titulum, & acquisitam ex illo possessionem, per quæ Opponentis existimat utrumque posse enervari seu subverti. Et primum quidem illud, quod in Bulla Impetrantis narratum sit, quod Ecclesia S. Servatii Traiectensis sit Ruremondensis diocesis; cum in rei veritate sit Leodiensis diocesis, quasi scilicet hæc falsa expressio titulum & jus, nedum possessionem Impetrantis efficiat & in utilem reddat in hoc beneficio. ³ Caterum juris ratio subvertit hanc objectionem: nam & in literis gratiæ Papalibus servatur juris regula, *l. Falsa demonstratio De cond. & demonstr. l. Quintus §. si vero de auro & arg. leg.* quod falsa seu erronea demonstratio, si constet de corpore, hoc est de ipso beneficio, non vitiet, neque noceat; ita ut sufficiat constare, de quo beneficio Papa senserit, vel quod in expressa diocesi tale, quale in literis exprimitur, nullum sit: ut in hoc juris articulo eleganter docuit Felinus, *in c. Significante De rescript. & eum secutus Petrus Reluffus, in praxi benef. lib. 1. tit. forma Signatura ad verb. eiusdem dioces. Iam verò tam individualis facta est beneficii, de quo hic agitur, in dictis Bullis Papalibus demonstratio, ut de illius corpore dubitari non possit; tum propter expressiorem Ecclesiæ, in qua illud est, Sancti scilicet Servatii Traiectensis, quæ nulla est in diocesi Ruremondensi; tum propter specificationem novissimi illius possessoris, per cujus mortem hoc beneficium vacavit, videlicet Arnaldi*

Q q 2

Lotij

Lotij, quem etiam ex propria partis Opponentis confessione constat fuisse Canonicum præbendam in dicta Ecclesia S. Servatii Traiectensis, nec è contrà apparet, quod idem Arnoldus id habuerit vel obtinuerit in diocesi Ruremundensi. Sic quod per errorem adiecta mentio falsæ diocesis, merito nocere non debeat: potissimum quia hoc quoque per errorem non sit in Bulla abiectum, quod Impetrans etiam sit clericus diocesis Ruremundensis: nam eo casu expressio falsæ diocesis ex persona Impetrantis, facilius vitaretur, ideo quod huiusmodi expressio soleat movere Pontificem ad facilius concedendum; & unicuique in propria potius quam aliena diocesi de beneficio providendum. Quod dici non potest eâ expressione non factâ, *Lud. Rom. conf. 327.*

Iste sunt rationes in sin. quia respectu illius non censetur Pontifex providere; & regulariter falsitas, quæ non movet Papam aut Principem ad concedendum, non vitat gratiam, *Rota decis. 350. alias 10. de refer. in antiquis. &gidius Bellame decis. 4. Cassad. decis. 11. n. 15. de præben. nec illa, quæ dolosa non est & sine malitia fit, Innoc. in cap. Cum nostrum n. 3. De concess. præb. Cassad. decis. 10. de præben. n. 2. sed per errorem, qui dolo caret, l. si per actorem de iurisd. om. iudic. Quem errorem quoque latius constituitur, & ejus de hac re confessio per Impetrantem acceptata est.*

Proinde nihil Impetranti obstat potest, quod Opponens huic objectioni adjicit, quod Impetrantis admissio ad possessionem huius beneficii habeat hanc conditionem, quod Impetrans intra sex menses docere debeat de sua clericatura, & curare, ut error in expressione diocesis Ruremundensis emendaretur. Nam in instrumento acquisitiæ & apprehensiæ possessionis, quod Impetrans exhibuit, nulla conspicitur huiusmodi conditio vel modus; ut etiam Opponens ex eodem instrumento id non objicit, sed ex præcedente illa præcipitanti per procuratorem, nondum impetratis literis Placiti, facta possessionis acceptatione, quam Impetrans non approbavit, nec ratam habuit; nec ex eo possessionis acquisitionem seu exercitium prætextit. * Ita ut illius in proposito nulla haberi debeat ratio: nam utile per inutile vitari non debet in re præsertim reiterabili, ut est possessionis acquisitio, l. 1. §. sed si mihi & ibi post. De verb. oblig. Cum aliqui si id quoque insertum esset posteriori acceptationi & admissiõni, non faceret conditionalem huiusmodi admissiõnem, sed modalem tantum, quasi sub modo illo facta admissiõne; & qui

modus adiectus regulariter non vitat actum, si modus non sequatur aut impetatur, l. 1. & 2. C. de his que sub modo legat. Unde est quod si in dispensatione adiciatur, dummodò hoc vel illud intra annum vel biennium fiat, non erit dispensatio conditionalis, sed modus tantum illius, *glos. & post. in c. Non potest de præben. lib. 6. & quod proxime huc pertinet tradit Baldus, in c. Dudum 2. nu. 27. De elect. per l. Quæro inter locatorem & Locat. & l. Qui sub prætextu C. de sacros. Eccles. quod si quis in civem fuerit receptus, dummodò solvat collectas, si non solvat nihilominus erit civis, quamvis cogi possit, ut solvat, vel privati*

commodis civitatis quousque solvendo moram purgaverit. Atque ita in proposito, si Impetrans sic admissus ad possessionem sub modo exhibendi literas clericaturæ, & corrigendi errorem in diocesi commissum intra semestrem, non vitaretur aut retrò annullaretur acquisita possessio; sed hoc tantum operaretur, quod Domini de Capitulo dictæ Ecclesiæ ei denegare possent commodam possessionem, & illa in suspenso retinere, donec utrumque illud fecerit. Ita ut ex hac allegatione Opponentis nihil commodi aut utilitatis adici possit, satique sit, vel nunc constare de dictæ Impetrantis clericatura diu ante hanc provisionem Apostolicam obtenta; & quod per juris deductionem constet huiusmodi prætextum errorem in expressione falsæ diocesis beneficii controversi non nocere; neque speciali aliqua emanatione indigere.

Nec obstat, quod Opponens objicit in Bulla Impetrantis exprimi quoque falsam ipsius Impetrantis diocesis; quasi fuerit clericus Mechliniensis diocesis, cum ex literis tonsuræ per eum exhibitis constet eum esse diocesis Cameracensis. Fallam autem siue errore siue dolo expressionem in propria diocesi beneficium impetrantis facilius nocere & vitare gratiam, c. 2. 70. *dist. 1. vel. in d. c. significante un. 2.* Nam in dicta Bulla non est expressum, Impetrantem esse Mechliniensis diocesis, sed tantum ex civitate Mechliniensis oriundum; quo non id continetur, quod sit Mechliniensis diocesis; ut etiam civitatis appellatione diocesis regulariter non continetur, *Felin. & alij in c. Rodolphus de rescript. Card. Zabarella in Clem. 2. §. sanè De elect. sed quod ex illa originem & genus ducat, c. 1. De usur. lib. 6. ex qua parte Opponens non arguit dictam Bullam subreptionis & obreptionis: sic quod ex mentione civitatis Mechliniensis nulla subreptio aut obreptio constitui possit. & leges multò minùs Opponentis interpretationem sequendo, qui pro civitate Mechliniensis intelligit diocesis Mechliniensis, ut aliquo casu civitatis appellatione diocesis etiam contineri potest, *Felin. in d. c. Rodolphus*: nam ea interpretatione constituta, verum erit, Impetrantem esse de diocesi Mechliniensis, etiam si à Cameracensi Archiepiscopo seu ejus Suffraganeo clericus cretus sit; ob id, quod ex Cameracensis diocesis parte erecta sit diocesis Mechliniensis, in qua parte Impetrans domicilio retinetur seu residet. Ita ut non male dicatur clericus Mechliniensis, qui dismembrata parte diocesis Cameracensis (cujus respectu creatus fuit clericus Cameracensis) quæ nunc Mechliniensis diocesis effecta est, domicilium & residentiam habet: ut surrogatum sapiat naturam ejus, in cuius locum surrogatur, l. 1. §. *hæc autem actio & ibi Bart. d. Si quis testam. liber esset. fuer. & gaudeat privilegijs & prærogativis illius, c. Unicuique l. In sacris 3. De proxim. sacror. sent. lib. 1.**

Obijcit deinde Opponens adversus Impetrantis provisionem, quod sit facta sub falsa narratione minoris taxæ valoris huius controversi beneficii quam id verè est; hoc est sub taxa viginti quatuor ducatorum, dicens præbendam dictæ Ecclesiæ im-

hæ impetrari solitas sub taxa sexaginta ducatorum; & quod ex narratione seu expressione falsa taxæ gratia Apostolica vicietur, *Clem. 1. & ibi gloss. de præb. dist. in c. ad aures De rescript. quasi taxa sit pars gratiæ, c. Cui de non sacerdotali c. Quamvis De præb. lib. 6.* Sed nec ea ex parte periclitatur possessio dicti Impetrantis, quamdiu Opponens, qui de maiore taxa vel valore sexaginta ducatorum obiicit, non probat tantum excessum; cum ejus sit probare excessum, qui illum obiicit, *l. Cum De lege D. De probat. Cum alioqui hic articulus causam petitoris magis respiciat, & altiore latioreque indigine & investigationem requirat; cujus generis quaestiones in possessoris iudiciis præsertim beneficiorum Ecclesiasticorum ad peritiorum rejici debent, l. 3. §. ibidem D. ad exhib. Ben. Bart. & alij in l. fin. C. Qui legit. pers. standi in iud. hab. l. monumenta c. C. Unde vi; & præterea ex longo usu in Amplissimo Concilio notorium sit (quod per Impetrantem allegatum esse sufficit, etiam si aliter probatum non sit, l. Si vero §. 1. Qui satisd. cogunt.) quod taxa seu valor præbendarum Ecclesiæ S. Servatii Trajectensis viginti quatuor ducatus sit minor, possitima fructuum parte consistente in distributionibus quotidianis, ex quibus taxa seu valor beneficii non constituitur, *Oldrad. cons. 118. Ex viuit. c. Licet De præb. c. 1. De cler. non resid. Didac. Corar. Verit. resol. lib. 3. cap. 13.* Unde in hoc Concilio tam frequenter iudicatum est pro possessione eorum, quæ ex Nominatione tum Universitatis Lovaniensis tum Facultatis Artium in eadem Universitate dictæ Ecclesiæ Canonicatus & præbendæ obtinuerunt (cum Nominationis dictæ Universitatis taxa sit dumtaxat triginta aureorum Germanicorum, qui sunt infra viginti quatuor ducatus) ut in causa D. Pauli Spina, qui nunc ejusdem Ecclesiæ Decanus est; in causis D. Simonis Plugers, D. Joannis Laet, D. Engelberti Wameij, D. Lamberti Plajoul, & quæ adeo etiam in causa supradicti D. Arnoldi Lotij, ex cujus morte utraque pars in hac causa jus suum meretur. Quæ exempla etsi in actis causæ non sint allegata, credimus tamen adhibere in recenti Amplissimorum Dominorum Consiliarium memoria; sic quod ex parte falsæ taxæ hic nullum Impetranti possit imminere periculum.*

His objectionibus addit Opponens, quod in adipiscendo, & titulo & possessione hujus beneficii sit prior; quia titulum & possessionem hujus beneficii adeptus sit prima mensis Julij anno 1574. cum proviso Impetrantis Idibus Augusti, & possessionis acquisitio die undecima Novembris eodem anno 1574. ideoque jure potior censeri debeat, *c. Duobus De rescript. lib. 6. l. 4. C. Qui pot. in pig. hab. ** Sed hæc obiectio nullius est momenti: cum enim, ut diximus, in beneficialibus possessio acquiri, confirmari, & stabiliri debeat ex ipso titulo, & sine illo non acquiratur, *c. In literis De rescript. spoliat. c. 1. De eo qui mittit. in poss. e. 1. De reg. iur. lib. 6.* Caliter quàm in rebus profanis, quarum possessio sine titulo præcedente acquiri potest, *l. 3. §. ex contrario De acq. posses.* nullus autem sit dicti Opponentis, quem prætexit, titulus, ut jam mox dicemus; consequens est, ex prioritate sic acquisiti tituli, & inde apprehensa

Cons. Wameij. Tom. 1.

possessionis jus aliquod potius constitui non posse: cum non possit comparatio aliqua esse ejus, quod non est, ad id, quod verè est, *l. penult. de iur. & ration. distrab. l. Qui duos de rebus dub.*

Quamobrem nec illud momenti aliquid habet, quod Opponens insuper obiicit, Impetrantis provisionem continere aliam obreptionem per falsam suggestionem; quod tempore datæ hujusmodi provisionis alicui de his Canonicatu & præbenda ordinaria auctoritate provisum minime extiterit; & præterea hanc formalem conditionem, *si in eis alicui specialiter non sit quæsitum.* Nam cum Opponens falsitatem hujusmodi suggestionis, & defectum prædictæ conditionis constituat dumtaxat in suo asserto titulo & jure, quod ex collatione Turnarij dicti Capituli obtinuit id autem, ut diximus, & iam nunc deducemus, nullum sit: manet dictæ suggestionis veritas, & prædictæ conditionis existentia, & elucescit titulus, quo Impetrans nitiur, omnimoda puritas & perfectio; cui accommodata possessionis acquisitio efficit, ut in hac possessoria causa nihil Impetranti ex sua parte ad obtinendam sententiam adjudicatoriam desit. Reliquum igitur est, ut demonstretur nec ordinarium Collatorem dictorum Canonicatus & præbendæ illos contulisse, nec ordinaria auctoritate alicui de illis provisum extitisse, nec tempore dictæ provisionis Papalis alicui in his specialiter jus quæsitum fuisse; cujus demonstratio difficultatem non habet. Nam ex propria Opponentis allegatione constat ordinarium horum Canonicatus & præbendæ Collatorem esse Reverendum dominum Præpositum dictæ Ecclesiæ S. Servatii Trajectensis: at verò de aliqua illius de his Canonicatu & præbenda collatione aut provisione nihil pro parte Opponentis proponitur, nec aliàs probatur; unde manifestum est auctoritate ordinariâ nulli provisum nec alicui inde jus quæsitum esse. ¹² Quinimo stabilitur inde dicta Impetrantis proviso Papalis, quatenus fundata est in negligentia dicti D. Præpositi; quod is intra sex menses à die vacationis de his Canonicatu & præbenda non disposuerit, nec alicui de illis providerit: ex hujusmodi enim negligentia devoluta est ad sedem Apostolicam conferendi dictorum Canonicatus & præbendæ potestas, *c. 1. de iure patron. c. Nulli c. Quia diversitatem De concess. præb. ideo quod idem D. Præpositus alium superiorem non habeat quàm summum Pontificem, propter notoriam illius & totius dicti Capituli exemptionem ab ordinaria jurisdictione; & ab exemptis immediate ad Sedem Apostolicam fiat devolutio, c. Licet c. Sicut De supplen. neglig. distat. & Clem. 1. eod. tit.*

Nec ferendum est, quod Opponens asserit devolutionem ex negligentia D. Præpositi fieri ad Capitulum; ideoque sibi rectè cellatum esse hunc Canonicatum à Turnario Canonico eiusdem Capituli: nam devolutio regulariter non fit nisi ab inferiore ad superiorem; non à superiore ad inferiorem aut parem, *c. Postulatis De concess. præb. Lud. rom. cons. 6. In casu proposita nu. 6.* Cum itaque Præpositura sit prima;

Qq 3

gaque

eaque superior dignitas in Ecclesia S. Servatii; non potest ex negligentia Præpositi ad Capitulum, quod Præpositurâ inferius est, fieri devolutio.

Neque ad rem facit, quod Opponens asserit, vacante Præpositurâ potestatem Præpositi devolvi ad Capitulum, & ab annis triginta per Capitulum statutum esse, quod beneficia ad collationem Præposituræ pertinentia, quæ contingit vacare vacante Præpositura, conferantur per Canonicum Turnarium: nam imprimis huiusmodi statutum si quod esset, nimis foret ambitiosum, & speciem haberet attentati, factum scilicet in præiudicium Præposituræ vacantis; quod de iure non est permixtum, c. 1. Ne sede vacante &c. Gloss. in c. 1. verb. eccles. De reb. eccles. non alien. lib. 6. Henningus Greden consil. 51. Incipien.

13 **Causa Ecclesiæ;** cum * in iure nusquam cautum sit, quod vacante Prælatura potestas conferendi beneficia devolvatur ad Capitulum; quamvis bene fieri possit, ut Capitulum vice Episcopi interea fungatur quoad necessariam administrationem & custodiam tam in spiritualibus quam temporalibus, c. penult. & ult. De suppl. neglig. Prælat. c. Quia sæpe De elect. lib. 6. c. ult. De offic. iud. ordin. lib. 6. Fred. de Senis consil. 17. quo respectu Capitulum interea non tam est Prælatus, quam Prælatura tantum vices sustinet, & sic non suum, sed Prælaturæ officium gerere censetur, ideoque omnes occurrentes vacationes futuro Prælato conservare debet, sicuti & cæteros fructus universos, qui vacante Prælaturâ non cedunt Capitulo, sed successori conservandi sunt quoque collationes beneficiorum interea vacantium, d. c. Quia sæpe De elect. lib. 6. Clem. penult. eod. tit. Et hoc est quod Honorius tertius Pontifex aperte rescripsit, in c. Illa Ne sede vacante, gl. & Doct. in c. Sicut nostris De iur. iur. Fred. De Senis consil. 264. nusquam in iure cautum inveniri, quod Capitulum vacante sede fungatur vice Episcopi in collationibus præbendarum: nec in illo eodem casu dici potest potestas conferendi præbendas ad Capitulum per superioris negligentiam devoluta; cum non fuerit ibi superior, qui eas potuisset de iure vel de facto conferre. Adhuc quamvis Capitulum vacante prælatura debeat ijs conferre beneficia, quibus vel ex mandato Apostolico, vel ex alia causa ipse Prælatus, si adhuc viveret, teneretur necessariò conferre, c. Cum vos De offic. ord. Panor. in c. Cum olim De maior. & obedient. inde tamen non sequitur, quod cessante ea obligatione & necessitate, Capitulum quoque gratiose alia cuique conferre possit. Nam huiusmodi necessaria collatio prodest futuro successori, qui sic ab ea obligatione & necessitate quodammodo liberatur, c. Eam te De rescript. Panor. & alij in d. cap. Illa, Rebuffus in tract. nominat. quest. 8. nu. 11. & latius in praxi benef. lib. 1. tit. De devolut. nu. 58. cum seq. usque 86. Ita ut huiusmodi allegatum statutum per se omnino sit nullum. Quod si de iure sustineri posset, nihilo magis Opponenti in hac causa prodesset; in qua non agitur de devolutione ex vacatione Præposituræ, sed devolutione ex negligentia Præpositi; ubi dictum statutum specialiter & restrictè loquitur dumtaxat de causa vacationis

Præposituræ; sic quod Opponens in allegazione huiusmodi statuti non satis bona fide alleget statutum loqui tam de negligentia Præpositi, quam de vacatione Præposituræ; ad quam negligentiam non potest fieri extensio ex statuto, quod de sola vacatione loquitur: quia statuta, præsertim quatenus à iure exorbitant, strictam dumtaxat, & ad corticem verborum restrictam interpretationem recipiunt, nec extensionem ad similes casus admittunt, Bald. in l. 3. C. De leg. l. De quibus, eod. Bart. in l. Omnes populi in 6. quest. De iur. & iur.

Facit ad confirmationem, quod omnia fide exempla collationum à Capitulo vigore huiusmodi asserti statuti factarum, loquantur peculiariter vel de beneficijs collatis tempore vacantis Præposituræ, ob Præpositi carentiam, facta expressâ mentione huiusmodi vacationis & carentiæ; vel nullâ Præpositi factâ mentione, ut concludenter inde inferri possit, quod ad collationem Præpositi vacaverint. Neque enim de iure devoluto præcisè loquuntur, sed passim alternativè hoc modo, Iure devoluto, vel alias: quod licet Opponens interpreter ob diuturnam vacationem, id tamen nimia incertitudo, quæ in alternativa oratione latet, præcisè non infert, cum certò non constet, quo modo ad Capitulum spècaverit potestas conferendi: sic quod asserta ista exempla magis sint pro exemplis viciosarum, quam utilium collationum.

Equidem licet Pontifici permixtum sit huiusmodi incertum modum vacationis exprimere, per hanc clausulam, sive præmissis, sive alio quavis modo, 1. apus allegat. 89. nu. 2. Marian. Socin. conf. 32. Ex his nu. 12. vol. 1. Rebuff. in praxi benef. tit. De forma signaturæ ad verb. sive præmissis sive alio. Idem tamen non est permixtum inferioribus à Papa: ita quod in ea ambiguitate potius præsumendum sit devolutiones istas contigisse ex diuturna vacatione Præposituræ, ex qua Capitulum sibi ius collationis usurpavit, quàm ex aliqua Præpositi negligentia, c. Suscepim De rescript. lib. 6. Ioan. Crat. conf. 92. incip. Regula Cancellariæ. Quamobrem cum ab Opponente nullum proferatur idoneum exemplum, ex quo probari possit Capitulum seu Canonicos dictæ Ecclesiæ, unquam fuisse in usu conferendi beneficia, ad collationem Præpositi spèctantia, ob negligentiam eiusdem Præpositi; consequitur, quod nec occurrente casu negligentia dicti Præpositi in vacatione huius contentiosi beneficii, per Canonicum Turnarium rectè id usurpari poterit.

Nec ad stabilendum hoc ius devolutionis ad Capitulum seu Turnarios Canonicos quicquam facit, quod Opponens dissidentia illius (quia regulariter à Prælato ad Capitulum non fiat ex causa negligentia vel vacationis Prælaturæ devolutio) allegat quod, quamvis Præpositi sit collatio Canonicatum dictæ Ecclesiæ, ad Capitulum tamen pertineat institutio & admissio ad huiusmodi Canonicatus, quodque ob id ius admissionis inferiori competente, etiam ad huiusmodi inferiorem fiat devolutio à superiore. Nam et si plerique hoc admittant, gloss. in l. dispositorem in Clem. 1. De suppl. neglig. Prælat. & ibi vbi. franc. id tamen accipiendum est de vera & Canonica institutione, quæ ad inferioris præsentationes

accomodatur, & pro confirmatione est, & ex qua ius in beneficio acquiritur, c. *Authoritate De inst. Decius in c. 1. De reg. iur. lib. 6. Ioan. Monach. ad c. 1. De inst. lib. 6. non etiam de illa institutione, quæ tota facti est, quam inductionem in possessionem seu admissionem & installationem vocant; quia hæc tantum est executio canonice institutionis, Panor. in d. c. 1. *De inst. lib. 6. ideoque corporalis dicitur, c. Adhuc vers. in quadam De off. Archidiacon. Panor. in c. Cum venissent nu. 11. De inst. Quid respicit, quod Præpositus Canonatus dicitur Ecclesie conferat & conferendo instituat, seu plenum ius tribuat, non verò præsentet Capitulum.**

- 16 Et quamvis ex negligentia Episcopi ad Capitulum suum Cathedrale possit pertinere ius conferendi & negligentiam supplendi, c. *Post electionem, postulat de concess. praben.* id tamen singulari ratione fit, ut eleganter tradit Panormitanus in c. 2. nu. 8. *de concess. praben.* non intuitu superioritatis, sed propter communionem, quæ est inter Episcopum & suum Capitulum. Unde cum nulla sit communio saltem non æqualis inter Præpositum & Capitulum; imò Præpositus nullum habeat ius animarum in Decanum & Canonicos, & præpositura ipsa omnimodò sit separata à capitulo; non potest idè constitui in supplenda negligentia Præpositi, quod speciali iure receptum est in supplenda negligentia Episcopi. Atque ita satis convincitur, ex negligentia Præpositi ius conferendi non fuisse devolutum ad Capitulum seu ipsius Turnarium.

Quod ipsum dicendum quoque est, quoad aliud genus devolutionis, quod Opponens præterit ex Concordatis Nationis Germanicæ, perque dicit ordinarij Collatoribus permitti provisione beneficiorum ad collationem Pontificiam pertinentium, si intra tres menses à die vacationis de Pontificia collatione in partibus non consisterit: nam præterquam quod Concordata illa restricta sunt intra fines Germanici Imperij, cui Ducatus Brabantie putatur non subesse; illud genus devolutionis accipiendum esset dumtaxat de beneficijs, quæ rectà viâ Pontifici vacaverunt in mensibus sibi reservatis; non etiam de vacantibus in mensibus Ordinariorum, & quorum collatio ad Papam non pertinet, nisi ex negligentia per lapsum dimidij anni: frustra enim quaritur de negligentia Papæ, quamdiu ad illum non pertinet beneficij collatio. Igitur suo casu & in proprijs terminis accipienda sunt huiusmodi Concordata: ut etiam accipitur Clementis & Bonifacii Octavi constitutio, c. *Licet c. Statutum de praben. lib. 6. de facultate conferendi beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia Ordinarijs Collatoribus permitti, si Pontifex intra mensem de illis non providerit.*

- 17 Quinimò præsupposito etiam iure devolutionis ad dictum Capitulum ex negligentia Præpositi, potior nihilominus adhuc erit causa dicti Impetrantis, vel hoc respectu, quod provisio Impetrantis præcise non fundetur in devolutione ex Concilio Lateranensi, propter negligentiam Ordinarij non conferentis, c. 2. *De concess. Consil. Wamef. Tom. 1.*

praben. sed in eo, quòd tunc alicui de his Canonatu & prabenda, auctoritate ordinaria provifum minimè extiterit: ita ut Pontifex magis censeatur contulisse iure præventionis, quàm devolutionis; quia cum omni Ordinario concurrat, quamdiu Ordinarius iure suo usus non est, c. Dudum De praben. lib. 6. d. cap. Quia diversitatem, Rebuff. d. tit. de devolut. nu. 46. cum seq. Cum igitur ex his evidenter constet, quòd Capitulum seu Capituli ordinarius iure devolutio ex negligentia Præpositi non potuerit conferre; consequitur collationem Turnarij, quam Opponens præterit, omnimodò esse nullam, ex defectu auctoritatis & potestatis; cum maior nullitas non sit quàm quæ ex defectu potestatis causatur: ita quod ex huiusmodi nulla collatione neque titulus neque colorata possessio constitui nec præteri possit, Panor. in c. Cum nostris nu. 23. De concess. praben. nec inde aliquod iudicium possessorum causari, Guid. Papa decif. 71. & 85. doct. in c. Ex literis De restit. spoliat. Lud. Roth. conf. 483. Dubitatur primo, Steph. Bertran. conf. 173. Ex processu nu. 9. vol. 8. imò etiam non citatus, nec auditus possessione turbari possit, qui talem incolorantiam præterit, Rota decif. 257. alius est 7. Si quis dicat De concess. in novis; ideoque etiam in his beneficialibus agenti interdicto recuperandæ possessionis rectè obijciatur spoliato notorius defectus tituli, Innoc. in c. Cum Ecclesiæ de caus. poss. & propriet.

Proinde sic stabilitis & confirmatis titulo, iure, ac possessione, Impetrantis, & ex adverso expugnatis & enervatis omnibus, quæ pro parte Opponentis vel allegantur vel obijciuntur; existimamus in hac possessoria causa secundum conclusionem Impetrantis iudicandum esse.

De Prabendis

S V M M A R I V M

Possessorium inter duos ex ordinaria provisione concurrentes.

1. Beneficiorum Ecclesiasticorum possessio sine titulo colorato non acquiritur vel retinetur.
2. Possessio præcessoris coniungenda cum possessione successoris.
3. Collationis & præsentationis faciendæ tempora ex Concordatis Germanicæ nationis.
4. 10. 25. Collatio beneficij differri à præsentatione & admissione ad illud.
5. Præsentatio per patronum quomodo idoneè fieri debeat.
6. Enumerativa in antiquis disponunt, & quando pro dispositivis habeantur.
7. Disponendi facultas de beneficijs quæ importet.
8. Principis quomodo intelligantur esse omnia.
9. Papa potestas absoluta est in beneficialibus.
9. Placitum Principis super executione litterarum apostolicarum.
11. Seu particula quam vim habeat.
12. Collatio, præsentatio, institutio in beneficio quomodo inter se differant.
13. Beneficium Ecclesiasticum sine clericatura haberi nequit.
14. 16. Clericatura quomodo probetur.
15. Clericatura non est ordo, sed qualitas habilitans ad ordines.
17. 19. Clericatura quasi possessio quantum proficiat.